FLEBILES ELEGI

Qvibus in obitu

VIRI

PRÆCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI

& in toto orbe literario

longè Clarissimi

DNI. JACOBI THOMASII,

Eloqvent. Prof. Publ. Comm. Artium Senioris Colleg. Min. P.P. Collegiati, Academiæ Decem Viri, & Subsen, Pædag. ad D.Thom. Moderatoris fidelissimi, de omnibus & singulis officiis meritissimi,

Ipso Exeqviarum die, qvi erat XIIX. Kalend. Octobr,

desiderium Capitis abrepti, & piis manibus observantiam declarant

PÆDEVTERII THOMANI

COLLEGÆ ET PRÆCEPTORES

calamo

M. JOH. FRIDERICI LEIBNUZII, COLL. III.

*********************************)

LIPSIÆ,
LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI.

PRoh dolor! ô nostris jactura gravissima Musis!
Imbribus ah! salsis ora rigate, genas;
THOMANÆ MUSÆ, (qvid enim nisi flebile restat?)
Pectora vestra gravi plangite aperta manu;
Ferali virides hederas mutate cupressu,
Et scissis qvestûs nunc date signa comis.
Est fato functus THOMASIUS, ah dolor! ille
Maximus ingenio, maximus arte, gravis
Vir, pius & prudens, virtutis amator & æqvi;
Annos qvi Pylios vivere dignus erat.
Mortuus ecce jacet Vester Dux optimus, ille
Cujus vos docuit cura, fides, studium.
Occubuit Magnus vestri protector honoris,
Occubuit vestræ firma columna Scholæ.
Nec fletis surdis, respondent fletibus omnes,
Antè qvibus facie aut nomine notus erat.
Lipsia tota dolet, tantô viduata Magistro,
Flet pietas, probitas, flet qvoqve cana fides.
Lipsiaci fuit ille decus, columenqve Lycei,
Et fuit is Sophici Tiphys & alpha chori.
Vix

Vix tanti fecit Ciceronem Roma disertum,
Nobilis ut nostrum Lipsia Chrysologum.
Unà erat omnigenæ fœcunda peritia lingvæ,
Vellet ut & Latium & Græcia docta suum.
Historice hôc qvantum sit vindice lucis adepta,
Publica cum scriptis pulpita testis erunt.
Alter Dresserus fuit hic, Camerarius alter;
Viva, ingens nobis Bibliotheca fuit.
Mens stupet elingvis, nec idonea verba seqvũtur,
Credo, qvia nostro carmine major erat.
Imò ceu Phœbus collustrat lumine terram,
A terrâ haud qvicqvam luminis accipiens;
Sic non laude cluit nostrâ, sed fama, per orbem
Terræ, nos potius mactat honore suo.
Ipse sibi solus carmen, sibi fama manebit,
Non melius poterit qvàm proprio ore cani.
Tantô orbata Virô lugent Academica tempe,
Pulpita nunc sqvalent, docta cathedra silet.
Sanè si Parcas posset superare Suada,
Non tumulus tanti clauderet ossa Viri.
Ast nil terribili valuit subducere morti,
Nostraqve vota nihil, nil valuere preces.
Qvis vetet in lacrymas ergo prodire profusas,
Abjectâqve chely lessum iterare gravem?
Non hoc de nihilo est, summi qvod Rector Olympi
Egregium meritis abstulit orbe Virum.
Ast

Aſt qvid inutilibus tempus conſumo qverelis?
Solari mœſtos nulla qverela poteſt.
Haud opus eſt lacrymis, opus haud ſingultibus ullis,
Vivit adhuc, vivit, Muſa vetatqve mori.
Nemo illum lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit; cur? volitat fama per ora Virûm.
Hâc vivit nobis, ſupereſt dum vita, ſuumqve
Cum Phyluræ æternum nomine nomen erit.
Et reſtant alia afflictæ ſolatia menti,
Qvàm deſiderii publica fama ſui.
Nil ultra corpus morti conceſſit, & oſſa;
Aſt animæ nullam vim Libitina tulit.
Hâc meliore ſui nunc vivit parte ſuperſtes,
Gaudiaqve in cœlo non moritura capit.
Inqve ſubinde ſuis renovat ſe gloria Natis,
Illorum laudes fama loqvetur anus.